



1736.

1. Albinus, Jo. Henricus : De his que per subkartationem extinguntur vel non.
2. Berlinellus, Gott. Christ. : Ord. iur. Decan : Doctor benevolo s. p. - I. (ad Orationem Godalab Christianum.
Klingel iuncta)
3. Berlinellus, Gott. Christianus : Observations et processum processus summarissimi
4. Brakes, Henricus : De Compagnia Litterarum litterarum iugato.
5. Brakes, Henricus : De Ceti contemplatione maleam fidem non impetrante
6. Capponius, Frider. Benedictus : Viaticae Capponii nuncr. sententiae ... Benedicti Capponii. 2. Sampf
7. Capponius, Frider. Benedictus : Viaticae Capponii nuncr.

- 8^a, b.^c
= Capporum, Frater. Benedictus : De criminis res, &c
3 exempl.
9. Crullius, Christph. Lutetianus : Prostygium, premisse
et certum usum creditaceo animo dantis auctoritatem. 15
10. Crullius, Christph. Lutetianus : Observations de rectibus
annui seniori monetae solitus 16
11. Hanaceius, Christianus : De praevis principaliis
divinis jure conquisi am retrahendis. 17
12. Hafermgius, Henricus Gorpens : De creatione datus
monos in artibz i[n] tempore. 18
13. Haren, Martinus : Sacra Tela academicæ, que
publicam symbolum precipuis, qui ad magni-
candum reges architectus ritibus comprehensam
... proponet. 19
14. Kraus, Jo. Gorpens, M. A. iur. ... Iocum : Actio
beneficio s. p. i. ad reputationem solennem
Christiani Specht iuncta) 20

- 15^a et b Kraus, Dr. Theophilus: Ord. iuridici... docamus;
lectori benevolo s.). s. (ad representationem volumen
Christiani Theophilii Fructu invitat)
16. Kraus, Dr. Theophilus: Ord. iuridici... docamus;
lectori benevolo s. p. d. (ad representationem
affirmum Profs. Ferdinandi Zschotke invitat)
17. Leyser — Griege
18. Leyserus, Augustinus: Adulterii paenam ex
duabus saltem causis mitigari posse... ostendit.
19. Leyserus, Augustinus: De incertis.
20. Leyserus, Augustinus: De stupro violento.
21. Leyserus, Augustinus: Quoniam coloni domi-
num in fructibus jam percepti parte merces
remittantur.
22. Leyserus, Augustinus: De stupri iudicio iusti.
22. Leyserus, Augustinus: Ne puer a stupri arbitrio
pro iustis relinquenda.

23. Legerus, Augustinus : De origine et speciebus
juriis
24. Legerus, Augustinus : De polyganie . Von der
Viel-Weberg.
25. ^{a/b} Legerus, Augustinus : De concubinato . Intra-
duo pro obtinendis summis iuribus honoribus
26. Martinus, Irenaeus Mauritanus : De principiis ; idem Deinde
ad quicunque litterarum stationibus ac macecentibus
27. Specht, Christianus : De scutellis et sciabiniis
28. Henzelius, Christ. Grapf : Morbus corporis morbus
mentis non curari nec curantes esse . . . De
monstrat
29. Sturmus, Graecus : De rebus, quae in festuau-
dari possunt .
30. ^{a/b} Wiedemann, Fr. Fries : De natali solo legi Salic.
Cal.

Q. D. B. V.
OBSERVATIONES
AD
PROCESSVM POSSESSORII
SVMMARISSIMI

QUAS
PRAESENTE

DN. GEBHARDO CHRISTIANO
BASTINELLERO

ICTO SAC. REG. MAI. POLON. AC PRINC. ELECT.
SAX. A CONSIL. AVLAE CODICIS PROF. PVBL.
CVRIAEC PROV. ET SENATVS ECCLES. ITEMQVE
SCABINATVS ASSESSORE ATQVE ORDINIS
IVRIDICI SENIORE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CAPESSENDI
D. XII. APRIL. MDCCXXXVI

IN AUDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM
CONSVETIS

ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBIICIT

AVTOR
CHRISTIANVS GODOFRIDVS FRANCKE.
VARISCVS.

VITEMBERGAE
TYPIS IOANNIS DAVIDIS SCHEFFLERI.

Die

OPERE RATIONIS
PRÆCISA ET CONSISTENS
SUMMARYS

DN. GEBHARDO CHRISTIANO
BASTINELLO

ETIUSMODO HIC PRAECEPIT AC HABET IN
SAXA CONVENTU AVARAE GODI DE PROTECTOR
CIVITATIS PROLITUR ET DEDICATIS LITERIS
SCVLPIVNTAS ASSERENS ALIAS ORDINES
IRVINDIENSIAE

LTO EICENITIA
SUBLIMIS IN UMBROSA UTA HONORUM CIBRISTIANI
DE ALEXANDRIAE MECENATI
VANNDICATORIO MECENATI
HONORIS VIRTUTIS ET FORTITUDINIS
CONSERVATORI

CHRISTIANUS GODOLTRIDUS TRANCINI
EXALTO

THERONIUS DAVIDIS SCHINELLI



I.

Magnus est possessionis favor, qui maxime se exscript in tractatione summaria.

D

ecantatissima sunt in foro commoda possessionis, et hospitem plane esse oportet, qui singula quasi in numeratis habere nolit. I. Possessor prae sumitur Dominus L. 16 C. de probat. L. 8 ff. I C. de praescript. XXX uel XL annor. L. fin. C. de R. V. CARPZ. DEC. 82 n. 36 ideoque negotiatoria agens, uel dominium dunt taxat incidenter probans, sola possessione iuuatur, arg. L. 8 ff. 3 ff. Si Seruit. uind. L. 16 ff. de except. II. Possessor titulum possessionis edere non tenetur L. 7 C. de Test. L. 4 C. de edend. L. ult. ff. de R. V. III. Percipit fructus L. 3 ff. 5 ff. iunct. GLOSS. verb. non multum, ff. de acqu. uel amitt. poss. ff. 35. I. de R. D. nec priuandus eorum perceptione, durante adeo petitorio, nisi prius amoueat a possessione, cuius causa percipere fructus debet, TYSCHIUS Concl. 427. N. 65 lit. P. IV. Pendente appellatione, possessionem sine uitio attentati continuat, L. un. ff. 4 ff. nihil innou. appell. interp.

terp. V. Probandi onere liberatur. L. 2 C. de probat. ita, ut, ex quorundam sententia, in negotioria actione libertatis excludatur praesumitio. Conf. THOMAS. diff. de onere prob. in act. negat. VI. Immunis est a satisfactione L. 15 ff. qui satisd. cog. O. P. S. R. ad Tit. XIII. VII. Competit possessori pignoris ius offerendi debitum creditori hypothecaria agenti L. 12 §. 1 ff. quibus mod. pign. vel hyporb. solv. L. 19 ff. qui pot. in pign. IIX. In pari etiam turpitudine melior censetur possidentis conditio L. 3 et 4 ff. de conduct. ob turp. caus. L. 2 et 5 C. eod. IX. VI EDICTI D. MARCI, is, qui rem, ab altero possessam, eidem eripit, omni iure, quod in ea habuit, excidit, L. 13 ff. quod. met. caus. et L. 7 C. unde ui. Cui hodie etiam in iudiciis Saxoniciis locum esse, testatur D.N. VVERNH. in Comp. Iur. L. III. Tit. IX §. 6 X. Possessor in sua possessione defendi debet, L. 2 ff. uti possid. ac XI. omnibus illis, qui in hac ipsi impedimentum obiciunt, resistere potest, arg. L. 1 §. 27 L. 3 §. 9 ff. de ui et ui arm. Nec desunt, qui plurima emolumenta et priuilegia possessionis ex LL. collegerunt. Sic CAROLVS TAPIA in autb. ingressu, C. de SS. eccles. uerb. ipso ingressu n. 13 seqq. eorum LXXII. et MENOCHIVS L. 6 Praef. 69 XXIV. recenset. Quae cum ita se habeant, nunquam non possessione gloriari litigantes uidemus, quam adeo sibi utilem existimant, ut decoctor suae beatitudinis censeatur negligens possessionem quam et prudentes causarum patroni, ante coeptum de proprietate litigium, clientulis suis vindicant, eaque bonam uictoriae partem fe iam obtinuisse, confidunt. CARPZ. in Proc. Iur. Tit. XXXIII. pr. Et notanter MENOCHIVS de retinend. poss. in praelud. n. 2 ait: *Quotiescumque aliquid a pluribus praetenditur, seu praetendi dubitatur, sic, ut inter eos desuper lis probabiliter futura sit, unusquisque eorum studet et conatur, in rei possessione esse, cum optime sciant, beatos fore possidentes.* Interim XII. potissima possessionis uis in eo consistit, quod causa

causa ipsius quam maxime sit summaria, et, quod, remotis omnibus processus ordinarii anfractibus, plenis quasi uelis et remis portus inueniri tantisper queat.

Limites hac in possessoria causa procedendi ratio non omnino nulos, paucos tamen habet, quos breuiter iam exponam.

II.

In Processu Possessorii Summarissimi non attenduntur uitia possessionis.

Quo loco praemonendum est, hoc nec pertinere quaestionem de bona aut mala fide possidentis, nec de uitia possessionis, quae clandestinitate, ui, aut precario nituntur. Quamvis enim magni sit momenti, utrum bona fide et iusto titulo possessor rem, seu fundum ab eo acceperit, quem dominum fuisse, aut alienandi potestatem habuisse, atque inde rem suam esse, credit *pr. I. de V्यu cap. an* mala fide quis rem alienam possideat, ac, tradentem fuisse non dominum, nec habuisse alienandi facultatem sciat, *L. 2 ff. L. 7 ff. 4 ff. pro emtore.* Attamen, cum hae qualitates iniustitiae, a titulo et scientia proficiacentes, ipsi possessioni extrinsecus accedant, ac eius essentiam non ingrediantur, *HAHN. ad VVESENB de acqui. uel amitt. poss. n. 3.* quilibet possessor hoc ipso, quod possessor est, plus iuris habet, quam non possidens, *L. 2 ff. uti possid. ff. 4 ff. de Interd. L. fin. ff. de acquir. uel amitt. poss.* et nemo absque causae cognitione possessione sua, etiam iniusta, expelli debet, *L. 6 C. unde ui.* Quare neque bona aut malae fidei, neque tituli, in Processu possessorio summarissimo, de quo in praesenti agere constitui, ulla habetur ratio.

A 3

III.

3
OBSERVATIONES AD PROCESSVM

III.

Definitio processus Possessorii Summarissimi.

Est uero hic processus, ubi solum de facto simplicis et momentaneae possessionis, omissis solennitatibus ordinarii, aduersus turbantem summariter proceditur, ne ad arma partes deueniant, sed possessio tantisper certa reddatur. Audit hic possessorium SVMMARIVM, seu SVMMARISSIMVM, propterea, quod tractatur summarie, et MOMENTANEVM, quoniam possessione momentanea fundatur. Respicit solum factum possessionis, et quaeritur in eo tantummodo, an non autem, quomodo quis possideat, BERG. El. Proc. Poss. §. 2.

IV.

Interdicta Iuris Romani multum differunt a Processu Possessorii Summarissimi.

Minime igitur hic omnia ea possunt applicari, quae Iure Romano in causis Interdictorum traduntur. Ea enim Interdicta dabantur, si quis possessionem uel adipisci, uel retinere, uel recuperare, cupiebat, quibus Praetor aliquid fieri aut iubebat, aut uetabat, pr. *J. de Interd.* Ad nostrum uero possessorium summarium, seu summarissimum, nec causa adipiscendae, nec recuperandae possessionis, refertur, PFANKVCH. de summariss. L. I c. 4 n. 7 et c. 7 n. 3 SCHILTER. Exerc. ad ff. 13 tb. 12 cum hic ratione facti possessor certus sit, nec tam ingens metus armorum immineat, quamuis CARPZ. L. I Rep. 9 n. 19 super possessione, uel retinenda, uel recuperanda, summarissimum admittat. Imo, nec Interdictum, uti possidetis, cum nostro Possessorio summarissimo est comparandum.

Edi-

POSSESORII SVMMARISSIMI

Edicebat enim Praetor Romanus: VTI EAS AEDES,
QVIBVS DE AGITVR, NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO
ALTER AB ALTERO POSSIDETIS: QVO MINVS ITA POSSI-
DEATIS, VIM FIERI VETO, L.I. pr. ff. uti possid. et perpetuo
hoc Interdicto insunt haec: quod nec ui, nec clam, nec
precario, possidetis L.I §. 5 eod. Contra ea in Iudicio Pos-
sessorii summarissimi solum factum possessionis praesenta-
neae attenditur, nec, num ea sit uitiosa, puta, ui, clam, pre-
cario, acquisita, disceptatur, BERG. in El. Disc. Forens. Tit. V
Obs. IV n. 1. Eaque de causa illud glossae antiquum hic lo-
cum obtinet: QVO IN STATV TE INVENERO, IN EO TE IV-
DICABO, DONEC CONTRARIVM VIDEO.

Obiicitur quidem L. 2 ff. uti possid. secundum quam iu-
sta, an iniusta, sit possessio, nihil refert. Verum intellige et
declarat: Si contra tertium, non si contra eum, a quo quis
possidet, agitur, L.I §. 9 ff. uti possidetis. Sic aduersus extra-
neos tantum prodest uitiosa possessio, L. 17 ff. de precario et
§. 4 J. de Interdict. MENOCHIVS de retin. remed. 3 n. 19. Ne-
gari tamen nequit, possessorium summarissimum ex Interdi-
cto, uti possidetis, originem trahere, et plurimas hue spectan-
tes leges ad summarissimum nostrum utiliter applicari.

V.

*Processus Camerae Imperialis, quo per Manda-
ta proceditur, discrepat a Possessorio
Summarissimo.*

Neque etiam cum regulis Possessorii nostri, Processus Ca-
meralis notissimus, quo per mandata proceditur, omni
ex parte conuenit. Euulgantur enim etiam in aliis, quam
possessionis, causis, mandata, et sunt uel cum, uel sine clau-
fula. Illis annexitur clausula iustificatoria, qua alteri facul-
tas,

tas, exceptiones suas opponendi, reseruatur ; his vero aliquid uel cum, uel sine poena, iniungitur. Interdum etiam his subiicitur clausula, non ea quidem iustificatoria , sed pectoria, nimis, ut ille, cui quid mandatum, intra certum terminum, quomodo paruerit, doceat. Mandata sine clausula speciem executionis contra non-auditum ferunt. Hinc iuxta Ord. Cam. P. 2 Tit. 23. in quatuor tantum casibus obtinent. I. Si quid ipso iure praecepsum, contrarium autem prohibitum, sit, II. damnum irreparabile immineat, III. causa in perniciem Reipublicae tendat, et IV. illa moram non ferat.

VI.

Nec ex Canone: Redintegranda, agitur in Possefforio Summarissimo.

Propius ad institutum accedere uidentur , quae ex Iuris Canonici famosissimo Canone: REDINTEGRANDA, caus. 3 qu. 1 afferuntur, et ante omnia spoliato restitutionem promittunt. Loquuntur tamen haec non tam de turbatione, quam potius de spolio, intuitu cuius praeferunt in Saxonie peculiari modo procedendum, uid. O. P. S. R. ad Tit. XI §. 3 Nam actor, ex spolio agens, iurisurandi delatione uti potest, atque probatio et reprobatio intra quindecim dies exhibetur. Interim remedia, ex Iure Romano, Imperiali, et Canonicō, recensita, plurimum ob causas possessorias sunt data. Vnde colligitur, eximium omni tempore fuisse possessionis fauorem.

VII.

Controuersantur inter se ICTi de diuisione Possessorii in Summariū et Ordinarium.

His remedii possessoriis, praeferunt possessorio summarissimo consultius putant Aduocati agere, quam petitorio

torio. Nec quisquam fere ad petitorium consugiet, qui agere ualeat possessorio. Hoc tamen iterum diuidunt in dictum SVMMARIVM, seu SVMMARISSIMVM, et ORDINARIVM. Quae distinctio inter DD., uti plerumque fieri solet, multas peperit controuerias. SVMMARISSIMVM, quod EXTRAORDINARIVM quoque nuncupatur, supra definiui. ORDINARIVM autem, uel PLENARIVM, uocant, in quo praeципue disceptatur, ordinario processu, de qualitate possessionis, eatenus, ut quis tamdiu possessionem teneat, donec altera pars causam egerit et obtinuerit in petitorio, CAGNOL. in L. in pari caus. n. 7 ff. de Reg. Iur. Haec distinctio ex ipsa Interdictorum ratione probari uidetur, qua de possessione primum ad sopiendas contentiones, in facto euenientes, et ad reprimentia scandala, neue ad arma res prorumpat, summarissime cognoscendo, per uiam praecepti proceditur, et plenior cognitio in ordinario instituitur. At enim uero, monente BEYERO in Pos. Iur. Ciu. ad Tit. ff. de Interdict. pr. Mindanus diuisiōnem in POSSESSORIVM SVMMARISSIMVM et ORDINARIVM falsam, et magis ex Doctorum somniis confictam, quam iure fundatam, asserit, ac, in possessorio semel succumbenti, nullum, nisi petitorum proprietatis iudicium, indulatum, autumat, quod per istam summarii et ordinarii differentiam nihil aliud, quam litium, contra legum iurisque rationem, induceretur multiplicatio; deinceps id, quod supra de Interdictis dictum, non singularem processum constitueret, sed potius ad ipsius Interdicti expeditionem pertineret: Sic CICERONEM, in Orat. pro Caccinna, ad quem prouocant aduersarii, quanquam is dupliciter in proposita ibidem possessionis quaestione occupatus fuisse uideretur, nihil tamen tractasse, quod singulare possessorium ordinarium expectasset. Quicquid uero sit, diuisio haec fere in omnium iure consultorum ore est, imo, in add. O. P. S. R. expresse legitur. Si tamen ueram ordinarii conditionem consideramus, non negandum,

B

hanc

hanc mixtam habere causam proprietatis, et in eo simul ius et
QUALITATEM possessionis pertractandam esse. Vix igitur contige-
rit casus, ubi separatim possessorio ordinario confecto, demum
petitorium institui, et in eo contra sententiam, in possessorio
ordinario latam, causa retractari, atque is, qui in possessorio
ordinario uictoriam reportauit, succumbere possit in petito-
rio. Quod in Electoratu Saxoniae eo magis afferendum,
propterea, quod per O. I. S. R. in addit. §. I. SVMMARIVS PRO-
CESSVS, isque speciatim sic dictus; prorsus abrogatus est, et
ordinario possessorio litigans, procedendi modo ordinario
rem perficere cogitur. Nam actor et reus ad probationem
et reprobationem admittitur, et utriusque, suum ius sufficien-
ter deducendi, facultas competit. Si igitur semel quis in
ordinario possessorio demonstrauerit, sibi rem iusto titulo
acquisitam esse, et aduersarium infirmiori iure gaudere, su-
perior discedet, et uix succumbet in petitorio. Aliter
vero fieret, si saltē in possessorio ordinario antiquior,
non titulata simul, possessio, in medium afferretur. Cui
tamen opinioni nonnullorum Doctorum, qui antiquiore
rem tantum possessionem requirunt, refragari hodierna Di-
casteria iuridica uidentur. Sic haud ita pridem inclitus Or-
do ICtorum in hac Academia in causa eiusdem argumenti
pronunciauit, daß die Klage in Umschung, daß Klr. darin-
nen die posses des libellirten Guthes von Martin Mor-
chens Tode her Beklagtem zugestehet, gleichwohl, quo iure
seine Principalin solches vor 15. 20. auch 30. Jahren besessen
haben will, nicht angiebt, solches aber, da Beklter von
so geraumer Zeit her das Guth besessen, und noch be-
sisset, wenn Klr. in possessorio ordinario obtinere will, in
Erwegung, daß darzu keine simplex possessio hinlanglich,
sondern qualificata erforderl wird, nothig gewesen, ange-
brachter mäzen nicht statt.

Quām

Quam sententiam leuteratione, ut uocant, interposita, Mensa Februario huius anni, confirmarunt Lipsienses.

II X.

*In Possessorii Summarissimi Iudicio non ubique
eadem est procedendi ratio.*

Transeant uero controuersiae possessorii ordinarii. Ver-
for circa summarissimum, de quo ulterius obseruo,
istud etiam in diuersis locis diuersam exigere tractationem,
quam partim fori obseruantia, partim leges prouinciales,
uel restringunt, vel extendunt. Spectant hoc in Saxonie
*Land-R. L.2 Art. XLIV pr. uerb. Welch Mann ein Guth hat in
seinen Gewehren Jahr und Tag ohne rechtl. Widerspruch,
der hat daran ein rechtl. Gewehr, Ord. Polit. de ao. 1612 §. 8
Resol. Grauam. de ao. 1661. Tit. von Justizien-Sachsen §. 36
Dec. Electr. Sax. 1, et §. 19 sqq. Addit. O. P. S. R. quo ultimo lo-
co procedendi modus maxime in ordinem redactus est.*

IX.

Diuersus est procedendi modus iu Curiis prouincialibus, et Iudiciis inferioribus.

Hic procedendi modus coram Tribunalibus Saxonice in-
ferioribus, et superioribus, quae Curiae prouinciales
appellantur, iterum variat. Causam expedient hae poste-
riores per Inhibitiones, aduersus eum, quem non credunt
esse possessorum. Quae Inhibitiones, etiam si in aliis, quam
retinendae possessionis, causis, obtinent, per O. P. S. R. in Addit.
§. 21 tamen ad quatuor, in §. 9 Resol. Grauam. de ao. 1612 recensiti
casus, restringuntur. I. Si contrauenitur sententiae, quae
translit in rem iudicatam, II. Transactionibus liquidis re-
B 2 pugna-

pugnatur, III. Violenta turbatio, aut iniuria, de facto suscipitur, IV. deiectione bonorum et spoliis committitur, simulque denunciatum factum satis demonstratum est. Saepeissime praemittitur Inhibitioni MONITORIVM, quod plerumque sequitur EXCITATORIVM, et id deinceps excipit INHIBITIONE. Est uero haec praeceptum poenale, quo sub certa, et quidem in Curia Vitembergenſi sub mulcta 30. aureorum florenorum Rhenensium, in Curia superiori Lipsiensi sub mulcta 50. aureorum, turbatio continuata turbatori interdictur, eique simul iniungitur, ut illico res ablatas restituat, damnum cum expensis refundat, ac in Termino praefixo compareat, et partitionem per Instrumentum publicum doceat. Cui tamen CLAVSULA IUSTIFICATORIA, quae in casum iustitiae saluum relinquit ius, expresse inferenda est, si uitium nullitatis euitari debet, DN. BERG. in Oec. Iur. L. IV Tit. XXX th. 6 n. 4 In Termino Inhibititus aut factum suum iustificat, et absoluuntur, aut probat partitionem, et condemnatur in damna et expensas, aut contumax est, et Inhibitio confirmatur, aut, iustificatione facta, causa redditur dubia, tunc Inhibitio in uim simplicis Citationis resoluitur, ac deinceps causa, uti in inferioribus Iudiciis, ad exitum perducitur.

X.

Distinctio inter actionem in factum et Processum Inhibituum non adaequata est.

Illa inferiora iudicia procedendi normam, in Dec. El. Saxon. I et App. O. P. S. R. §. 19 seqq. praescriptam, obseruant, ac Doctores docent, actionem in factum hucusque progredi. Quae actio uero et in Inhibituo Processu locum semper habet, nec per diuersam iudicis rationem tractandi causas, actionis institutae fundamentum mutatur. Quapropter distinctio

Actio summarissimi inter actionem in factum, et Processum Inhibitiuum, adaequata non uidetur. Quemadmodum enim actio in factum est, qua, cum ea certo nomine legisque principio careat, secundum aequitatem ipsius facti, interpretatione Ictorum, aut extensione Praetoris, ius in iudicio prosequimur, L. II ff. de praescript. uerb; Sic in praesenti casu per eam interpretatione Ictorum et extensione legum, ad retinendam possessionem latarum, agitur contra turban- tem in possessione, sive deinde per Inhibitionem, sive per iniunctionem responsionis ad libellum, procedatur.

XI.

*Processus Possessorii summarissimi pro possessione
rei incorporalis, et corporalis, immobilis, et
mobilis, datur.*

Instituitur, quam dixi, possessoria actio ex possessione, et qui-
dem intuitu rei incorporalis, et cuiuscunque rei corporalis
immobilis, BART. in L. I ff. uti possid. n. 2 MENOCH. de retin.
rem. 3. qu. 12 n. 10 pariter, ac rei mobilis, existentis in domo uel
fundo, quatenus cohaeret immobili, (Nam, propter cohae-
rentiam rei immobili, uidentur fructus, existentes in fundo,
et mobilia, existentia in domo, esse pars fundi et domus, L. I
§. 6 L. 3. §. 15 ff. de ui et ui arm.) imo, ipsarum mobilium, ubi
in Iure Romano singulare habemus Interdictum, VTRVBI
§. 4. I. de Interd. PFANKUCH. L. I c. 6 n. 52 sq. item, sive ex
parte, sive ex toto, sive pro induiso, se quis possidere, dicat,
L. I §. 1 ff. uti possid. DN. WERNHER. autem in Comp. Iuris
L. II Tit. XIX §. 6 admittit possessorium summarissimum
tantum in rebus incorporalibus, s. in quasi possessione, conf.
§. 3 d.t. Ex aduersa parte DONELL. ad L. un. C. uti poss. n. 15
et BOCKER. Clas. 4. Disp. 51 n. 5 sq. de quasi possessione non

dari summarissimum, existimant, quibus tamen iterum communis opinio contrariatur, HAHN. ad WESENE. tit. uti poss. n. 2.

XII.

Possessione uacante, non datur Possessorium summarissimum, sed sequestratio interim decernitur, donec de iure sit cognitum.

Oritur nunc quaestio de possessione uacante, ad quam VERGINIUS de BACCATIIS a CING. in Tr. de interd. uti poss. Cap. XX n. ii medicit. Afferit enim ille, etiam hoc loco summarissimum possessorium valere. Quemadmodum autem uacans possessio alio modo intelligi nequit, ac si neuter litigantium possidet, sic nec alter turbatur, nec alter in possessione, in qua non est constitutus, defendi potest, sed potius in sequestrum iudiciale, ob metum armorum, res datur. BERG. in Oec. Iur. L. III Tit. ii §. X n. 2. Spectat huc. Sächsl. Land-Recht L. 3 art. 15 impr. Ob Zweyen ein Guth ansprechen, Jener, der es hat, der soll es ihr seinem geben, sie vereinigten sich denn vor, durch Freundschaft mit einander, oder ihr einer weise den andern ab für Gerichte, item Ist ein Guth angesprochen von zweyhen Mannen, und heischet es der Richter zu sich auf Recht, man soll es ihm ausantworten, und der Richter soll es unter ihn behalten, bis sich diese darum entscheiden mit Recht,

XIII.

Heres, qui non apprehendit possessionem, ex possessione defuncti momentanea non defenditur.

Pertinet huc porro conditio heredis, de quo scimus, omnia defuncti iura ad ipsum transferri, ex quibus ius possessionis

sionis non excludendum esse, uidetur. At enim possemo in heredem non transit sine apprehensione naturali, L. 23 pr. L. 30 §. 5 de acqu. uel arritt. poss. hinc heredem, qui nondum naturaliter apprehendit possessionem, in possessorio summarissimo ex possessione defuncti non tuetur iudex. Minime obstat L. 138 & 193 ff. de R. I ubi heres, adita hereditate, ex tempore mortis heres extitisse singitur. Hoc enim procedit in iis, quae sunt iuris, non quae facti, prouti possessio est. Maioris quidem momenti uidetur L. 30 π. pr. ex quibus caus. maior. docens, POSSESSIONEM DEFUNCTI QVASI IVNCTAM DESCENDERE AD HEREDEM, et PLERVMQVE NON DVM HEREDITATE ADITA COMPLERI, quae possessionis uox tamen hic usucaptionem, exemplo L. 19 eod., significat.

XIV.

Contra Principem ex causa regalium cessat summarissimum. Neque in iure uenandi priuato contra priuatum possessio momentanea prodest.

Vidimus, quod Possessorum summarissimum a possessore sit instituendum. Ordo igitur postulat, ut inuestigem, contra quem illo agi possit. Et respondeatur, contra turbantem. Qui uero non turbat, contra illum non competit istud. Sic Princeps, iura regalia exercens, eam ob causam priuatum turbare non censetur, quia illa priuato non debentur, nequidem in suo fundo, nisi ille eisdem a Principe uel expresse fuerit inuestitus, uel tacite, puta, praescriptione immemoriali, illa obtinuerit. Quapropter possessione simplici contra Principem non admittitur. Quod secus se habet respectu iurium, ad Principem de iure communii non per-

pertinentium, *uid. POST. de manuten.* *Obs. XLIV.* n. 29 et 38. Plus habet singularitatis ius uenandi in Electoratu Saxoniae, cuius possessio, uel quasi, momentanea in fundo alterius ne contra priuatum quidem ualida est, iuxta *Ord. Pol. de A. 1555. Tit. das keiner auf des andern Grund und Boden ic.* So wollen wir, verbis: ungeachtet einiges Fürwendens, daß es anders hergebracht. Quam ob rem et possessorium summarissimum cessat.

XV.

Instituitur Possessorium Summarissimum et in foro domicilii turbantis, et rei sitae.

Nunc aggredior ad competentiam iudicij in nostro summarissimo, quae ex causa huius Processus, scilicet turbatione, facile uideri potest. Turbatio inuoluit delictum, CARPZ. in Proc. Iur. Tit. XXIII. art. II n. 37. Delinquens et in foro domicilii, ubi omnis actio institui potest, L. ult. C. ubi in rem act. et in foro delicti, quod hic est locus rei sitae, iudicatur L. un. C. ubi de poss. ag. Ergo iudex et domicilii, et rei sitae, competens habetur. Quum tamen constet, iudicem domicilii regulariter non teneri reum remittere, hinc turbans per pignorationem ad forum turbationis obligatur. Qua occasione notandum, triplicem maxime pignorationis esse effectum. 1. Possessionem i. e. ut possessio uel quasi conservetur, 2. indemnitatem, ut sarciantur damnum, 3. securitatem, ut cautio praestetur ratione damni futuri, BERG. in Oec. Iur. L. II Tit. II §. XXVI n. 7. Quibus sic se habentibus, iudex circumspecte agere debet, si turbatis et pignora capientibus eorum restitutionem, salvo iure, ante causae cognitio- nem, praecipere uelit.

XVI.

XVI.

Iudex secularis regulariter cognoscit in Possessorio Summarissimo.

De reliquo, in negotio possessionis momentaneae soli iudici seculari iurisdictionem tribuit Cap. 7. X. qui filii sunt legitimi, etiam in controversis mere ecclesiasticis et spiritualibus. Attamen, cum in his petitorium foro ecclesiastico omnino relinqu debeat, et L. 10 C. de Iudic. inculcat, super possessione et principali quaestione unum eundemque iudicem esse adhibendum, hodiernus usus fori, in spiritualibus causis, possessoribus electionem iudicis secularis, aut ecclesiastici, permittit.

XVII.

An Possessorium Summarissimum cumulari possit cum Petitorio.

Tandem inquirendum, numne petitorium cum Possessorio Summarissimo cumulari possit? In Petitorio agitur de proprietate, et affirmatur, aduersarium rem possidere, secundum doctrinam ZANGERI in Tr. de Except. Cap. XIX P. II §. 19. In possessorio vero agens, rem se possidere, asserit. Ergo, his cumulatis, contraria inferri videntur, ob quae cumulationem reicit ZANGER d.l. §. 14. Accedit Possessorii Summarissimi et Petitorii diuersa planè ratio procedendi. At non adsunt prorsus contraria, cum quis possidere et nihilominus etiam petere possit, ut statim in petitorio sibi res, tanquam de iure possessa, vindicetur. Nec electione tolluntur possessorium et petitorium. Nec sententia, lata in uno, parit exceptionem rei iudicatae in altero. Quare admittitur cumulatio, CARPZ. Decis. XXXII §. 10. Tali enim

C

mo-

modo nihil commune habet proprietas cum possessione, et ideo non denegatur ei Interdictum, *uti possidetis*, qui coepit rem vindicare, nec uidetur possessioni renuntiasse, qui rem vindicavit, L. 12, §. 1, ff. *de acqu. uel amitt. poss.* Quapropter et GOD OFRED. in not. ad dict. L. 12 concedit cumulationem possessorii et petitorii, *conf. BERG. in El. Proc. Poss. §. XLII it. c. 3 et 4 X. de caus. poss. et propriet.* Quo autem dubium ex diuerso modo procedendi removetur, necesse omnino est, ut causa petitorii statim sine ulteriori probatione elucescat. Alioquin in petitorio interlocutorie pronunciatur. Memini Sententias, ante aliquot annos in tali cumulatione latae: Dieweil die in denen gemeinen Rechten und teutsch-schen Gewohnheiten gegründete Markt-Freyheit durch die den Gast-Hößen und Gar-Küchen gegebene Priuilegia nicht aufgehoben worden, mithin iura petitorii am Tage liegen, so werden Appellanten bey dem Rechte, während der N. Jahrmarkte in ihren Häusern um das Geld zu speisen, billig geschützt, es könnten und wölfen denn Appellant ein ihnen und ihrer Gar-Küche wieder die obangesührte allgemeine Markt-Freyheit zustehendes absonderliches Recht binnan Sächsl. Frist mit Vorbehalt des den Appellanten zustehenden Gegen-Beweises und bender Theile Eydes-delation erweisen, dessen gewissen sie billig.

XIX.

Aliquot solennitates habet Possessorium Summarissimum, cum Petitorio communes.

Forma Summarissimi solennitates fere omnes prohibet, non tamen eas, quae ad felicius dirimendas lites, et quae alioquin ad substantiam processus, iure gentium, sunt necessariae. Cautionem pro expensis exigit O. P. S. R. ad Tit

Tir. XIII. in allen und jeden Proceszen. Ergo et in Summarissimo Possessorio, Tentatio amicabilis compositionis simul ordinarii possessorii et petitorii incommoda tollere potest. Hinc tantum abest, ut ea per *O. P. R. ad Tit. I §. 2 et 2 ad petitorium* restricta sit, ut potius et in Summarissimo exigatur. Sicuti et in processu inhibitivo, quanquam, in contumaciam rei, praeceptum poenale decretum est, locum inuenit. Solennis libellus, et solennis litis contestatio, uix requiritur. Sufficit enim sola officii Iudicis imploratio cum congruo medio concludendi et petito, ANDR. RAVCH. B. *P. 2 qu. 6 n. 63 PETR. FRID. MINDAN. de Interd. c. 13 n. 8* quibuscum facit *O. P. R. S. in add. §. 19* uerbis: *So lassen wir zwar geschehen, daß darinnen noch ferner, ohne ein ordentl. Libell, wenn nur ein richtig Medium concludendi und deutlich petitum vorhanden, etc.* Citationes sub poena confessi et conuicti emittendae, uid. *O. P. R. d. l. et ad Tit. IV §. 1 ac spatium Saxonicum continere debent. Quod eo magis concedendum, quia reum ante terminum ita se preparare oportet, ut in primo termino ad reprobationem paratus sit.*

XIX.

Quae fiant in primo termino?

In Termino ipso, uti §. praecedenti monitum, concordia tentatur, ob quam partium comparatio personalis necessaria, §. 1. *Tit. I O. P. S. R.* Si amicabilis compositio obtineri nequit, reus ad libellum respondet, et, adductis probationibus, obuerit reprobationes. Sunt uerba *O. P. R. in Add. §. 19* und soll dem Beflagten zwar zu seiner Gegen-Bescheinigung gleichfalls Gerichtl. Rotulos in Termino zu übergeben frey stehen. Quando autem Actor Rotulos te-

stium ad Acta tradere debeat, nullibi definitur. Plurimi tamen, ex ratione, quod soli iudici probatio fiat, et ex particula gleichfalls, quae in *Add. ad O. P. S. R. §. 19* legitur, cum D.N. VVERNH. in *Comp. Iur. Lib. IV Tit. XXX §. 5.* concludunt, in termino demum Rotulos demonstratorios et contra-demonstratorios offerendos esse. Verum omni in processu iudici fit probatio, cum eiusdem solum sit, de causa cognoscere. Particula gleichfalls non coniungit non expressa, sed restringenda ad ipsum texum, qui de admissione demonstrationis et contra-demonstrationis, minime autem de eiusdem fatalibus, disponit. Deinde analogiae processus conuenit, ut partim actoris probatio ante terminum cum reo communicetur, partim ut ille deliberare possit, num cedere, an contendere, uelit, partim etiam, ut sciat, quae in reprobatione deducere debeat. Tum rei partes in iure fauorabiliores actoris partibus sunt, quae, si actor in Termino demum Rotulos exhiberet, deteriores redderentur. Ceterum, nemo sufficienti defensione praecludendus. Tandem reus ad rotulos actoris in Termino sub poena confessi et conuicti respondere tenetur.

Ex quibus omnibus sequitur, ut et Rotuli Actoris statim cum libello iudici porrigendi, ac cum reo ante terminum communicandi sint. Sic, communicatione cum emissâ citatione haud facta, neque responsione ad eos iniuncta, Curia prouincialis Vitemberg. Term. Erhard. 1735. respondit: würde Appellat nach Vorschriß der Erl. Proc. Ordin. Append. §. 19. zur Einlassung auf Appellant en Vorbringen fol. 35. und den Rot. fol. 41. sub poena confessi et conuicti gebührend vorgeladen, so ist derselbe sich darauf einzulassen verbunden. Es sind aber Appellant en die Unkosten dieses Termins, nach vorgehender deren Liquidation und unserer Ermäßigung, Appellatem zu erstatten schuldig.

XX.

XX.

De Rotulis et Testium Examine.

Eiusmodi rotuli debent esse, iuxta Addit. O. P. S^r. R. f. 19 iudiciales, coram quocunque tamen iudicio confecti. Quanquam etiam plerumque iudex ipse, si testes examinatur, praefens esse consuevit, attamen saepius etiam, absente illo, a solo Actuario, ad Mandatum Iudicis, rogationem testium fieri, experimur, modo ille rem, nomine Iudicis, suscipiat. Quod quidem praesertim in superioribus Iudiciis, e. g. Curiis prouincialibus, accidit, ubi Protonotariis solis examen testium plerumque in causis summariis committitur, quippe qui alias etiam plurima iudicia negotia soli expedient. Testes uoluntarii etiam, coram iudice, cuius iurisdictioni non subsunt, absque metu poenae, in possesso-rio summarissimo se rogari ad articulos, patiuntur, quoniam hoc iudici ordinario non praejudicant, uti facultas iu-ridica Vitembergensis in causa der Gemeinde zu Ragösen contra die zu Dippmannsdorff nuperrime censuit.

XXI.

Quot, et quales, testes esse debeant?

Magna olim fuit disceptatio, utrum unus, an plures, in iuratine, an iurati, testes requirantur, quae postea in Dec. El. Sax. Nou. i ita temperata, ut unus minimum iuratibus esse debeat, exceptis casibus, ubi violentia, tumultus, aliudue periculum, inter partes suboritur. Tunc duo iniurati testes satis probant. Nec haec dispositio in f. 20 App. O. P. R. verb. und zumahl in denen in Unserer ersten Decision enthaltenen Fällen auch nur eines einzigen Zeugen cylit-

che, oder 2. ungeschwörner unverwerflicher Zeugen Außage attendiret wird, mutata esse uidetur.

XXII.

In dubium vocatur fides derer Auszugs-Leute.

Habiles autem debent esse et in hoc processu testes. Horum enim qualitas interna, et in causis ordinariis, et summiariis, manet eadem, nee illam coarctata procedendi ratio emendat. Quinam testes sint inhabiles, aut suspecti, abunde constat ex legibus, quas hic repetere frustraneum esse, reor.

Vnicum tantum de domesticis separatis denen Auszugs-Leuten adiicio, de quorum fide saepenumero in utramque partem disputatur. Res eo reddit, ut consideretur, utrum illi commodum aliquod ex re, in lite versante, uel percipiant, uel percipere possint, nec ne? Posteriori casu non reiiciendos esse, puto. Priori uero repelluntur. L. 3. ff. de Testib. Si a possessорibus, pro quibus testimonium perhibent, quodam alimentorum genere fruuntur, tunc quoque fides eorum vacillat. L. 3 Cod. L. 24 ff. c. 24 X. de Test. Sic etiam inhabiles sunt in causa uniuersitatis litigantis, si per indirectum ipsorum commodis inseruiatur L. 10 ff. et C. de Test. Quod eo magis asserendum, si bona sua filiis tradiderint, qui filii, tanquam membra uniuersitatis, libus simul implicati sunt. Pater enim pro filio et in causa filii nunquam testis esse potest, L. 9 ff. de Test. Facultas Iurid. Lips. plane reiecit die Auszugs-Leute, in Sachen der Gemeinde zu Hohndorff contra die zu Dühhns ante paucos annos, uerbis: Weil die Auszugs-Leuthe, welche zu Zeugen angegeben worden, Eltern sind, so zum Zeugniß so wenig

wenig, als die Auszugs-Leute vor sich, zulässig. Multo minus admittuntur alii ex uniuersitate, nisi causa respiciat tantummodo commodum uniuersitatis, non autem singulorum, nec aliunde testes haberi possint. CARPZ. L. 3 Rep. 93, n. 3. 4 BERG. in Oec. Iur. L. 4 Tit. 24. Tb. 3 n. 1 et in El. Disc. For. p. 79 n. 6 RIVIN. ad Ord. Proc. Sax. Tit. 22 En. 33.

XXIII.

*Quomodo depositio testium comparata esse
debeat?*

Depositio testium sit specifica. Generalis, indefinita, et incerta, minus sufficit, ueluti in seruitute pascendi: Meius habe iederzeit da gehütet, et aliis casibus, quos uid. in BERG. El. Proc. Poff. Tb. XXIX. In causa prohibitionis non satis habetur, simplices actus probasse. Sic, qui actus iuris pascendi demonstrauit, non ideo in possessione iuris prohibendi, quo minus et alter pecora pascat, defenditur. Ceterum non tantum possessio sola, sed et actus possessorii, et quidem iuxta §. 19 Append. O. P. R. in seruitibus continuis, minimum annua possessio, in seruitibus discontinuis, cum annua possessione saltē tres actus possessorii probari debent. Actus uero, qui liti causam dant, non attenduntur, quippe qui non possessorii, sed turbatiui esse intelliguntur, DN. VVĒ N H. in Comp. Iur. L. IV Tit. XXX §. 3. Interea ex §. XX. App. O. P. S. R. solum factum possessionis demonstrandum, nec alias peruulgata quaestio, utrum quis tantummodo in possessione sit, an etiam possideat, quorum alterum ex subtilitate iuris Romani tantum est facti, alterum facti et iuris simul, L. 10 §. 1 L. 49 §. 1 ff. de acqu. uel amitt. poss. attenditur. Nec demonstrari debent tituli acquisitae possessionis, quorum tot sunt, quot sunt acquirendi eius,

eius, quod nostrum non est, uelut pro emtore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede etc. L. 3 §. 21 ff. de acqu. uel amitt. poss. Modus uero probatur, qui est apprehensio, animo habendi facta, L. 3. §. 1 L. 1 §. 3 L. 8 L. 41 de acqu. uel amitt. poss. Quoties enim quis possessionem dicit, toties apprehensionem affirmat. Quae fit uel per occupationem in his, quae terra, mariue, uel ex hostibus, capimus, L. 3 §. 21 ff. de acqu. uel amitt. poss. uel per traditionem, ubi etiam sufficit dicta. Non enim necesse est, corpore et actu possessionem apprehendere, sed etiam oculis et affectu, uel signo quodam interueniente, consequi eam possumus, L. 1 §. 21 ff. de acqu. uel amitt. poss. Nec, qui fundum possidere uult, omnes glebas circumambulet, oportet, sed satis est, quamlibet partem eius fundi introire, dum mente et cogitatione sit, ut totum fundum ad terminum uelit possidere, L. 3 §. 1 ff. de adqu. uel amitt. poss. Corporis, ex distantibus indiuuiduis constituti, u. c. gregis, possessio tribuitur, si modo, omnibus indiuuiduis praesentibus, una ouis sit apprehensa, BERG. in Oec. Iur. Lib. II Tit. VI §. 2 n. 4. Per Procuratorem etiam, Tutorem, Curatoremque, acquiritur possessio, modo hi omnes nomine nostro eam nacti fuerint, L. 1 §. 20 ff. de acqu. uel amitt. poss. Nam infans recte possidere coepit, et iudicium infantis suppletur auctoritate Tutoris. Utilitatis enim causa hoc receptum est. Nam alioquin nullus sensus est infantis, accipiendo possessionem L. 32 §. 2 ff. d. Tit.

XXIV.¹

*Testes de antiqua possessione in quantum
ualeant?*

Accidit, ut testes habiles de recentiori possessione haberent nequeant. Quaeritur, si quis antiquam probauit, an tamen

tamen detendi in possessorio summarissimo possit? Affirmatur, quoniam a possessione antiqua recte ad praesentaneam argumentamur, cum mutatio sit facti, nec praesumatur, et is, qui antea possedit, hodieque possidere censeatur, *arg. L. 18 f. ult. ff. de acqu. uel amitt. poss.* Si tamen ab aduersario probatur contrarium, praefumtio recentioris possessionis ex antiqua eliditur, et ueritati locus relinquitur.

XXV.

*Instrumenta etiam probationes in Possessorio
Summarissimo faciunt.*

Probationis per testes fit tantum mentio in Append. O.
P. S. R. f. 19 non tamen probatio per Instrumenta prohibetur. Idcirco ea Instrumenta, quae summarium procedendi modum non impediunt, et, utriusque partis praesentis iussu, super traditione et possessionis translatione sunt conscripta, omnino admittuntur, et per illa possessione recte probatur, *L. 12 C. de probat. BRVN. ad L. 48 ff. de acqu. uel amitt. poss.* E contrario Instrumenta, parte absente confecta, ad probandam possessionem minus sufficiunt, *L. 48 ff. de acqu. uel amitt. poss.* Licet documenta recognoscenda sint, recognitio tamen absque ambagibus in primo termino fieri potest, et multo magis admittuntur instrumenta publica, quae nulla recognitione indigent, ut sunt, *jx. O. P. S. R. ad Tit. XXV f. 2* Gerichtliche Acta und Instrumenta, so entweder über einen vor Gerichte getroffenen Handel gefertigt und abgesetzt, oder auch denen Gerichten, von denen contrahirenden Theilen gehüthrend vorgetragen, und daselbst entweder confirmaret und bestätigeret, oder denen Actis publicis einverleibet worden. Ex Instrumentis emtionis uenditionis, non statim traditio et possessio, etsi

D

titulus,

titulus, probatur, Imo, quamvis instrumentum dicat: *de-dit, tradidit*, tamen his uerbis non possesso, sed apprehendi potestas indicatur, arg. c. 6 X. de fide Instrum. MAS-CARD. de Prob. Concl. 1184 n. 9 sqq.

X XVI.

Iurisiurandi delationi non datur locus.

Iurisiurandi delatio in possessorio summarissimo in Saxonia diserte reificitur, *f. 19 App. O. P. S. R.* Siquidem per illam lites retardantur, cum tamen summarissimi natura omnem moram, ex eademque ratione, Interrogatoria, respuat. Ante editam O. P. R. iurisiurandi delationem Vitembergenses admirerunt, Lipsientes uero contrarium statuerunt, uid. BERG. in *Elect. Proc. poss. f. 31*. Nec super facto turbatio iuriurandum deferri potest, ob generalem dispositionem *f. 19 App. O. P. R.* Quomodo uero illud, deficien-tibus testibus, probandum est? Videndum, an actor possessionem sufficienter demonstrauerit, nec ne? Priori casu, negata turbatione, in illam, tanquam delictum, inquirendum, et secundum qualitatem turbationis procedendum. Secun-dum circumstantiarum diuersitatem purgatorium dictandum erit. Posteriori casu nulla censetur turbatio. Ergo illius probatio eo ipso exulat.

XXVII.

Statim definitiue cognoscitur.

Primo termino praeterlapso, statim absque interlocutoria sententia definitiue respondendum. Sunt uerba *f. 19 Add. ad O. P. S. R.* auf Gegen-Bescheinigung nicht interlo-quiret, sondern sofort hauptsächlich erkannt werden. Acto-re

re non probante, reus absolvitur. Si vero probauerit actor, defenditur possessione, et reo inhibetur turbatio sub certa poena, quae per *O. P. S. R. ad Tit. XXXIX. s. 3* loco cautionis de non amplius turbando, introducta. Si uterque litigantium possessionem demonstrauerit, etiam uterque defenditur. Restitutio dannorum et expensarum, pro re nata, iniungitur. Restituuntur tamen tantum expensae necessariae. Ita, quas, testes cumulando, aut per alias ambages, quis fecit, non recuperabit. Sic si causae patro-
no nimium honorarium dederit, si in itinere, ad iudicium profectus, sumtus immodicos fecerit, frustra restitutio ex-
pectatur. Summatim omnes illi sumtus necessarii habendi,
sine quibus processus peragi non potuit, quo referuntur illi, qui, secundum legem et consuetudinem, iudicii, eo-
rumque ministris, uel testibus pro uiatico, debentur, item
quos pars litigans, necessitate urgente erogavit. VMM. in
Proc. Disp. 30 Th. 4 n. 16.

XXIX.

*An Sententia, in Summarissimo lata, sit definitua,
an interlocutoria?*

Sententia, in hoc possessorio lata, definitua recte dicitur,
cap. fn. X. de Iudic. Conficit enim item possessionis
momentaneae, CARPZ. L. 1. *Reff. 12.* Qui vero respectu pe-
titiorii et causae principalis, quam non decidit, eam inter-
locutoriis annumerat, nec illi refragabimur. Interim in
illa possessorium ordinarium, et petitiorum simul reseruari
debet, et, nisi hoc sit, iusta appellandi causa praebetur.
MEV. *P. 7. Dec. 20 n. 7.*

XXIX.

Iudex in Possessorio Summarissimo pro re nata statim in Petitorio decidere potest.

Accidit nonnunquam, ut iudex, praetermisso possessorio, illoco in petitorio pronunciet, quod tunc sit, si iustitia petitorii in continentia liquida, aut obiectum litis minimi pretii sit, uid. *Decis. El. XIII.*

XXX.

Lite pendente, licite exercentur Actus Possessorii.

Ante Sententiam vero, et lite pendente, actor actus possessorios iure exercet, *GAIL. L. 7 Obj. 145 n. 2* Namque lite pendente, nec in possessorio, nec petitorio, quidquam est innouandum, *tot. tit. X. ut lite pendente nil innou. MODEST. PIST. L. 1. Conf. 19 n. 25.* Nec aliquis possessione sua, qua gaudet, lite pendente, per Inhibitionem priuari debet, *L. 13 ff. quod met. caus. L. 7 C. unde ui. conf. Ord. Pol. El. Sax. de Ao. 1612. Tit. von Iustitien Sachen §. 9.*

XXXI.

Remedia suspensiua et deuolutiua excluduntur.

Contra Sententiam, in possessorio latam, *O. P. R. App. §. 19* regulariter nec Leuterationem, nec Appellationem concedit, etiamsi de damnis simul iudicatum, aut uterque litigantium remedio suspensiuo, aut deuolutiuo, uti uelit. Qua sanctione, dissensus Doctorum, circa hoc argumentum

ex

ex iure ciuili, L. un. C. Si de moment. poss. et Iure Canon. per Cap. 10 et 15 X. de restit. Spol. ortus, sublatus uidetur. Veruntamen nonnunquam, pro qualitate circumstantiarum obuenientium, si nimirum simul sententia poenam irrogat, aut pars una alterae in primo termino, non, ut par est, audita, aut grauissimum damnum parti obuenit, nec metus armorum obstat, iudices Leuterationem admittunt. Et recordor, Dicasteria his in casibus priorem Sententiam mutasse, ut plurimum tamen censuisse, Leuterationem in possessorio summarissimo, ut aiunt, inadmissibilem esse. Imo, aliquando Leuterationem inadmissibilem declarata, priorem tamen sententiam certas ob causas simul emendatam esse, noui.

XXXII.

Illis, qui beneficio restitutionis in integrum gaudent, leuteratio et appellatio permittitur.

His tamen, qui beneficio restitutionis in integrum gaudent, instar remedii restitutionis per O. I. S. R. in *Ad-dit. §. 19* aut Leuteratio, aut Appellatio, imo, saepissime et Leuteratio, et Appellatio, conceditur, nec iudex inferior habet potestatem, Appellationem reiiciendi, etiamsi illa ab aliis, restitutionem non habentibus, sit interposita, sed eateñus referre ad iudicem *ad quem* necesse habet, cui solum conuenit, de inadmissibilitate cognoscere, *Const. El. IOH. GEORG. III. de Ao. 1691.* Ergo iudex inferior executione tamdiu abstineat, donec declaratio inadmissibilitatis a superiore iudice secuta sit.

D 8

XXXIII.

XXXIII.

An uictoriam deportans in Summarissimo, bonae fidei possessor habeatur?

Vtrum uero, defensus in possessione, bonae fidei possessor habendus, affirmandum uidetur ex L. n^o ff. de acqu. uel amitt. poss. in qua is, qui iudice auctore possidet, iuste possidens dicitur, ac in fauorem possessionis id semper praesumitur. VVSEN B. in Parat. de acqu. uel amitt. poss. n. 7. Verum enim uero haec praesumtio tamdiu tantum valet, quamdiu de contrario non constat. Hinc possessor, succumbens in possessorio ordinario, aut petitorio, malae fidei possessor censeretur, et iuxta addit. O.P.S.R. §. 20, fructus perceptos et percipiendos, etiam damna et expensas, in possesso rivo summarissimo erogatas, restituere cogitur.

XXXIV.

Quamdiu nec satisfactum est sententiae, in Possessorio latae, tamdiu petitorium institui nequit.

Si in possessorio pronunciatum est, et sententia in rem iudicatam transit, non prius ad petitorium prouocare licere, quam Sententiae, in possessorio latae, omni ex parte satisfactum sit, communissima iam olim fuit doctrina, quae secund. O. P. S. R. eo minus dubii habet, cum etiam reconuentio, cuius species, praemissio possessorio, petitorium est, differatur, usque dum rei iudicatae, in conuentione impletatae, is, qui causa cecidit, plenissime paruerit.

XXXV.

XXXV.

Petitorium coram eodem Iudicio, ubi Possessorium finitum, tractandum.

Quaeritur, an coram eodem Iudice, apud quem possessorium ventilatum, petitorum institui debeat? Negantes provocant ad res ecclesiasticas, in quibus petitorum coram foro ecclesiastico c. 2 X de Iud. c. 24 X de Decim. possessorium summariissimum contra in foro seculari est tractandum, c. 7 X qui fil. snt legit. et concludunt, cum ibi connexitas causae possessorium et petitorum non ad unum idemque iudicium restringat, CARPZ. Iurispr. eccl. L. 1 D. 138 GAIL. L. 1 Obs. Pract. XXXVIII n. 2 MYNSING. Cent. II Obs. XLVIII, nec in secularibus adstringere possit. Configunt ad LAVT. Coll. Pandect. L. XLIII Tit. I §. XXI ad STRVV. Introd. ad Ius Can. L. II Tit. XII qu. I ad LYNCKIVM in Comment. in Decretales Lib. II Tit. XII §. 2. imo ad c. fin. X. de judic. et inde euincere co- nantur, actorem, obtinentem in possessorio coram iudice rei, non teneri coram eodem iudice respondere uolenti agere super proprietate, sed coram iudice suo. Quaerunt discriminem in diuersitate fori personarum, et applicant hoc tam ad ecclesiasticas quam seculares res. Quemadmodum uero c. fin. X de Iud. solum de causis ecclesiasticis, de quibus etiam dicti Scriptores intelligi debent, loquitur, quae exceptionem a regula habent, ita omnis disputatio de secularibus est superuacanea, et uerum firmumque permanet, possessorium et petitorum coram uno eodemque iudice tractandum, L. 10 C. de Iudic. GAIL. L. 1 Obs. Pract. XXXII n. II

XXXVI.

XXXVI.

*Possessorium Summarissimum nihil iniusti
habet.*

Accusant multi iniuriam Possessorii Summarissimi, et asylum iniuste litigantium nominant, propterea, quod, ui, clam, et precario, in possessionem irrepentes aliorum bonorum, hoc defendenterunt. Nulla uero adest iniquitas et iniustitia. Leges sunt uigilantibus scriptae, et quisque suarum rerum uigilans administrator esse debet. Hinc is, qui sua diligenter curat, non habebit, cur de alterius uitiosa possessione conqueratur. Ceterum imminens armorum et rixarum metus plane aufert omnem querimoniam. Quod si quis etiam alterius possessionem iniustum tantisper ferre cogeretur, opitulantur tamen ipsi saluberrimā legum remedia, quibus amissum recuperare potest, quo tandem felicem scopum attingat, et iustae cause obtineatur periucundus

F I N I S.




VD 18

ULB Halle
001 951 815

3



TA ->OL



41
1936/36
**ONES
SESSORII
IMI**

**RISTIANO
RO**

C PRINC. ELECT.
CIS PROF. PVBL.
CLES. ITEMQVE
OVE ORDINIS

**IA
RES CAPESENDI
XVI
AIORI
MERIDIEM**

EBIICIT

VS FRANCKE.

CHEFFLERI.

D. 66



Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

DN. GE

ICTO SAC.
SAX. A CO
CVRIAEP
SCABIN

SVMMOS L

I
HOE

CHRISTIA

TYPIST

B.I.G.